

SULPHURIS portio aliqua in cochleari ferre incensa suspendatur super aquam in vase clauso; & fumo residente, idem toties repetatur, donec totum sulphur sit consumptum.

## M E T A L L I C A.

CHALYBIS RUBIGO  
præparata.

LIMATURA chalybis aëri exposita humectetur saepius aceto, vel aqua, donec in rubiginem convertatur; deinde tere in mortario, & affusa aqua pulverem subtilissimum ablue: residuum vero, quod modico tritu in pulverem facile abluendum non redigitur, humectatum aëri diutius expone; & denuo in mortario tritum ablue, ut prius pulvis ablutus siccandus est, & asservandus.

CHALYBS SULPHURE  
præparatus.

CHALYBS igne acerrimo excandefactus bacillo sulphuris admoveatur, ut liquefaciat, & guttatim in aquam suppositam decidat; deinde separetur a sulphure simul in aquam desfluente, & in pulverem subtilissimum redigatur.

## FLORES MARTIALES.

R. Colcotharis vitrioli viridis loti, vel limatura ferri p. libram unam,  
Salis ammoniaci p. libras duas.

Mix-

**M I X T A** sublimentur ex retorta, & quod in retortæ fundo restat, cum floribus simul terendo misce, iterumque sublima, ut flores colorem pulchre flavescentem acquirant.

**R E S I D U O** tandem addere licet salis ammoniaci p. libram dimidiam, & sublimationem de-nuo instituere; idemque repetere, quamdiu flores bene colorati sunt.

### LIXIVIUM MARTIS.

**R E S I D U U M** post florum martialium sublimationem loco humido seponatur, liquor defluens servetur ad usum.

### SAL MARTIS.

**Rx.** Spiritus vitrioli fortis, olei dicti, uncias octo,  
Limaturæ ferri p. uncias quatuor,  
Aquaæ m. libras duas.

**M I S C E**, &, cessante ebullitione, stet mixtura aliquamdiu super arenam calidam; deinde liquorem effusum per chartam cola, & post idoneam exhalationem sepone, ut crystalli formentur.

### CAUSTICUM LUNARE.

**A R G E N T U M** purum duplo circiter pondere aquæ fortis super arenam calidam solve; deinde, calore leniter aucto, exsicca; postea in crucibulo liquefac, ut in formas idoneas effundatur, caute evitato nimio igne, ne materia ultra modum crassescat.

### SACCHARUM SATURNI.

**C O Q U E** cerussam in aceto distillato, vase plumbeo, donec acetum satis dulcescat; deinde ace-

acetum per chartam cola, & post idoneam exhalationem sepone, ut crystalli formentur.

### LAPIS MEDICAMENTOSUS.

R. Aluminis,  
Lythargyri,  
Boli Armeniæ, aut Gallicæ, singulorum p. libram dimidiam,  
Colcotharis vitrioli viridis p. uncias tres,  
Aceti m. uncias quatuor.  
Misce, & exsicca, donec indurescat.

### STANNUM PULVERATUM.

STANNUM liquefactum in pixidem effundatur ligneari intus cretata, qua celeriter succensa reducetur pars stanni in pulverem: reliquum iterum liquefactum eodem modo tractetur, donec totum in pulverem sit redactum.

### ARGENTI VIVI

purificatio.

DISTILLA e retorta; deinde sordes aqua salsa, vel aceto ablue.

### AURUM MUSIVUM.

R. Stanni p. libram unam,  
Florum Sulphuris p. uncias septem,  
Salis ammoniaci,  
Argenti vivi purificati, singulorum p. libram dimidiam.

STANNO liquefacto adde argentum vivum, postquam mixtura refixerit, in pulverem redigatur, sulphuri salique ammoniaco bene misceatur,

tur, & sublimatio fiat in matracio: invenietur aurum musivum sub materia sublimata, cum sordibus quibusdam in fundo.

## ÆTHIOPS MINERALIS.

R. Argenti vivi purificati,  
Florum sulphuris illotorum, pondera æqualia.

TERANTUR simul in mortario vitro, vel lapideo, donec unitas facta sit.

## CINNABARIS FACTITIA.

R. Argenti vivi purificati p. uncias viginti quinque,

Sulphuris p. uncias septem.

SULPHURI liquefacto argentum vivum immisce, & si mixtura flammarum concipiat, extinguitur vas tegendo; deinde in pulverem redigatur materia, & fiat sublimatio.

## MERCURIUS CORROSIVUS

sublimatus, vel albus.

R. Argenti vivi purificati p. uncias quadraginta,  
Salis marini p. uncias triginta tres,  
Nitri p. uncias viginti octo,  
Vitrioli viridis calcinati p. uncias sexaginta sex.

ARGENTUM vivum in vase ligneo vel lapideo uncia, aut amplius, mercurii sublimati corrosivi jam confecti misceatur, dum in grana minuta fractum sit; deinde cum nitro teratur, postea cum sale marino, donec argentum vivum omnino apparere desinet; tum addatur vitriolum calcinatum, quocum mixtura non nimis diu conterenda est, ne argentum vivum ite.

iterum confluat: denique sublimatio fiat in matracio vitreo, cui, si placet, capitellum aptes, ut spiritus, qui parva quantitate prodit, servetur.

### MERCURIUS DULCIS

**R.** Mercurii corrosivi sublimati r. libram unam, Argenti vivi purificati p. uncias novem.

MERCURIO sublimato trito adde argentum vivum in matracio vitreo, & digerantur leni arenæ calore, vitro saepe agitato, donec coēcant, deinde, aucto calore, fiat sublimatio: materia sublimata, abjecta parte superiori acri, & globulis argenti vivi, si qui forte appareant, in pulverem redigatur, iterumque sublimetur; quæ sublimatio sexies repetenda est.

### MERCURIUS CALCINATUS.

ARGENTUM vivum purificatum ponatur super ignem arenæ per plures menses in vase vitreo, latum fundum parvumque foramen aëri patens habente, donec in pulverem rubrum calcinetur.

### MERCURIUS PRÆCIPITATUS

**R.** Salis ammoniaci, Mercurii corrosivi sublimati pondera æqualia. Solve simul in aqua, pen chartam cola, & solutione salis alicuius alkalini fixi præcipita; pulverem præcipitatum ablue ad perfectam dulcedinem.

MER-

MERCURIUS CORROSIVUS

ruber.

R. Argenti vivi purificati,  
Aquæ fortis compositæ, pondera æqualia.  
MIXTA in vase lati fundi incalescant igne  
arenæ, donec exsiccata massa rubicundum colo-  
rem acquisiverit.

MERCURIUS CORALLINUS.

MERCURIO corrosivo rubro affunde triplum  
circiter pondus spiritus vinosi rectificati, & leni  
calore digere per duos vel tres dies, vas sæpe  
succutiens ; deinde spiritum accende , assidue  
pulverem agitans, donec spiritus totus deflagra-  
verit.

MERCURIUS EMETICUS

flavus.

ARGENTO vivo purificato affunde in vase  
vitreo duplum pondus spiritus vitrioli fortis ;  
gradatim incalescat liquor, & deinde ebulliat,  
donec in fundo remaneat massa alba, quæ forti  
igne penitus exsiccanda est. Hæc massa, aqua  
calida affusa, statim flavescit, & in pulverem  
fatiscet. Teratur diligenter cum hac aqua in  
mortario vitreo ; & postquam pulvis subsederit,  
aquam effunde, &, recenti aqua aliquoties af-  
fusa, abluatur ad perfectam dulcedinem.

SULPHUR ANTIMONII

præcipitatum.

R. Antimonii p. uncias sedecim,  
Tartari p. libram unam,  
Nitri p. libram dimidiam.

D

SE PA-

**S E P A R A T I M** in pulverem redacta, bene miscantur; sensim immittatur mixtura in crucibulum candens, & liquetur forti igne; deinde effundatur in conum fusorium, & pars metallica, antimonii regulus vulgo dicta, fundum petet, scoriis supernatantibus. Scorias in aqua solve, & liquorem per chartam cola; deinde salis marini spiritum instillando sulphur praecipita, & postea a salibus aqua ablue.

### CROCUS ANTIMONII.

**R.** Antimonii,

Nitri, pondera æqualia.

**S E P A R A T I M** in pulverem trita probe miscantur; deinde gradatim injiciatur mixtura in crucibulum candens, ut liquetur; materia effusa separetur a scoriis: varii erit coloris; eoque magis flavescat, quo diutius in igne liquata fuerit.

### CROCUS ANTIMONII

lotus.

**C**rocum in pulverem subtilissimum redatum in aqua coque; qua abjecta, denuo aqua calida aliquoties ablue, donec omnino dulcescat.

### TARTARUM EMETICUM.

**R.** Croci antimonii loti,

Crystallorum tartari, singulorum p. libram dimidiam,

Aquæ m. libras tres.

Coquæ per horam dimidiæ; deinde cola per

per chartam, & rite evaporatum seponē, quo  
crystalli fermentur.

CALX ANTIMONII.

ANTIMONIUM in pulverem redactum ni-  
tri triplo ponderi probe misceatur, & gradatim  
in crucibulum leviter candens immittatur; de-  
inde mixtura ab igne remota aqua abluatur, tum  
a sale adhærente, tum a parte crassiori minus  
perfecte calcinata.

CAUSTICUM ANTIMONIALE.

R. Antimonii p. libram unam,  
Mercurii corrosivi sublimati p. libras duas.

SEPARATIM in pulverem redigantur, probe  
misceantur, & fiat distillatio ex retorta, cuius  
collum amplum sit, leni igne arenæ; quod in  
retortæ collum ascendit, aëri exponendo in li-  
quorem resolvatur.

CINNABARIS ANTIMONII.

Quod in fundo retortæ restat post confectum  
causticum, in matracio loricato igne aperto sub-  
limetur.

AQUÆ STILLATITIÆ  
SIMPLICES.

AQUA ALEXETERIA

simplex.

R. Foliorum menthae vulgaris recentium p. ses-  
quilibram,

Summitatum absinthii maritimi recentium,

D 2.

Folio-